



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

III. Exercitium Desiderij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

fructus eos percipiendos, ob quos olim eum effudisti, & in calice sacro reposuisti. Tantùm supplico, ô spes mea & salus, ut ejus pretium mihi specialiter applices, atque ab omni infirmitate me dimittas.

III. Exercitium Desiderij.

Omnia in te reperio, Salvator mi, & ego non anhelem ad te? si vulnera mea curari desidero, Medicus es; si nimio labore astuo, fons es; si peccatis oneror, justitia es; si tenebras fugio, Lux es; si cibum quæro, alimentum es: & quia in Sacramento totus es, ideo pro omnibus in eo remedium invenio. *S. Ambrosius.*

Si vulneratus Chirurgum; si infirmus Medicum tanto desiderio, & impatientiâ tantâ desiderat: quanto desiderio, & impatientiâ me ad te anhelare necesse est, qui undique vulneror, totus langueo, & infirmor; ita ut à planta pedis usque ad verticem non sit in me sanitas?

Si tam sollicitè panem quotidianum quæro, inventumque quotidie sumo; ut humidum radicale, quod calor natus ab-

absumit, nutrimento continuo reparatur non longè avidius panem hunc substantialem ambio; cùm anima meam morem proprium in se habens, contra virtutem ejus depascentem, summe indigeat, ut frequenti panis hujus consumptione restauretur.

Quemadmodum desiderat cervus fontes aquarum; ita desiderat anima ad te Deus: deficio enim, nisi à te reparar; vires amitto, nisi à te sustentor, deus sum ad resistendum, nisi à te confortor. *Aruit enim cor meum, quia oblitus comedere panem meum.* Psalm. 103.

IV. Exercitium Humilitatis.

Sed quomodo ausim appropinquare tibi, O cœlestis Samaritane? Ego enim sum homo ille miser & miserabilis, descendens ab Jerusalem in Jericho, incidit in latrones infernales, à quibus delinatus donis supernaturalibus, & plagis lethalibus peccatorum acceptis, semivivus relictus est. Cujus vibices & reliquias etiamnum quandoque experior. Quò confugiam miser, nisi ad Patrem misericordiae? quò confugiam æger nisi ad